


268





62 10
INDEX


disputationum hoc volumine
comprehensarum.

- Deas controversias juris dicitur p[ro]f[ess]ore Franciscus*
De concursu et graduacione creditorum.
De jure retractus.
De legibus incendiarum.
De incendio casualis.
De moneta, ejus jure, et mutatione.
De fructibus. *ex p[ro]f[ess]ore p[ro]p[ri]o p[ro]f[ess]ore Th[om]a*
De collationibus bellicis.
De juribus et irrationabilibus consuetudinibus.
De pecunia pupillari, ejusque administratione.
De benedictione sacerdotali in matrimonio.
De literis amatoriis.
De errore conscientie.
De titulo invalido.
De scriptura potestate ac usu in negotiis civilibus.
De relocatione et reconductione tenite.
De contractu societate.
De licitatione.
De testibus calypticis.
De communione bonorum inter conjuges.
De unione prolium.
De juribus ac privilegiis viduarum.
De jure retractus et emigrationis.
De jure videndi.
De dispensationibus.
De reversione injur. verbal.
De eo quod interest.
De jure successionis creditorum in locum anteriorum.
De jurisdictione forestali.









1. A
SOLO FAUENTE DEO.

DECAS

Controversiarum

Juridicarum illustrium



Quam

*Permissu atq; auctoritate Amplif-
sime Facultatis Juridicae
Lipsiensis,*

SUB PRÆSIDIO

SIGISMUNDI Fincelthaus/

J. U. D. & Professoris
publici,

Publicæ disquisitioni subicit

GOTHOFREDUS NICOLAI

Vratislaviensis.

Ad diem 3. Aprilis,

Loco & horis consuetis.

LIPSIÆ, Excudebat GREGORIUS Rixsch.

ANNO 1628.



SOLO FAVENTE DEO.

DECAS

CONTOVERSIARUM

Juridicarum Illustrationum

Quarta

Præfatio ad auctoritate Augusti
sive Facultatis Juridice
Lipsiæ

Sub Præsidio

SIGISMUNDI JUNKHEIMANN

J. U. D. & Professoris

publici

Publicæ Institutionis Juris

GOTTHOFREDUS NICOLAUS

Viri doctissimi

Ad diem 3. Aprilis

Loco & horis consuetis.

Lipsiæ, Excudebat Georgius Neuberger

MDCCLXXIII





CONTROVERSIA I.

Ad L. precibus. 8. C. de impuber. & aliis substit. Cap. si pater 1. de testam. in 6. & Constit. Elect. 8. part. 3.

AN à Patre pupillariter substitutus excludat matrem à legitimâ? Negamus ex sanctionibus Imperatoris Justiniani recentioribus, & ejusdem Novellis.

Ratio (1.) quia quemadmodum Jus Legitimæ jure Justinianeo novissimo plenius factum est, tum quoad quantitatem, *Nov. 18. c. 1.* tum quoad justas exheredationum causas, *Nov. 115. c. 3. & 4.* Ita & effectum est longè favorabilius, quàm olim fuit jure Digestorum, & in Codice tempore quorundam Imperatorum Justiniani antecessorum. Constituit enim Justinianus, ut omnis conditio, dilatio, aliavé dispositio moram vel quodcunq; onus introducens tollatur. *l. quoniam. 32. l. omnimodo. 30. l. scimus. 36. §. 1. C. de inoffic. testam.* Quod si igitur & pupillariter substitutus legitimam matri eriperet, utiq; ea maximo onere, contra Justiniani mentem, gravaretur.

(2.) Quia quod quis per se efficere nequit, multò minus per alium facere poterit, *arg. l. neq; per se. 10. C. de hered. instit.* Paria enim sunt, neque per se, neq; per alium non facere posse vel debere, *argum. l. 1. §. de jecisse.*

12. ff. de vi & vi arma. Sed filius in suo testamento matrem non potest excludere à legitimâ, nisi ex certis causis. Nov. 115. c. 4. Ea enim ex singulari legis beneficio debetur, Nov. 1. c. 1. §. 1. versic. Si vero nullus horum. ibi: per hanc legem. arg. l. si quando. 35. §. & generaliter. 2. ibi: nisi hoc specialiter. C. de inoffic. testam. Ergo neq; patri pro filio idem permittendum.

(3.) Quia privilegium alicujus ad injuriam alienam porrigi non debet. l. impuberi. 40. ff. de administ. tutor. l. cum filius familiâs. 28. ff. de testam. milit. Ergo pater filio suo impuberi ex privilegio & vi patriæ potestatis pr. f. de pupill. substit. ibi: quos in potestate. ff. de vulg. & pupill. substit. condere quidem testamentum potest, sed ita, ne præjudicium matri fiat in legitima.

(4.) Quia eodem modo & exemplariter substituentes parentes, liberis mente captis legitimam relinquere debent. l. humanitatis. 9. ibi: legitimâ portione eis relicta. C. de impub. & aliis substit.

Atq; hanc negativam (5.) in summâ æquitate fundatam approbavit Elector Saxonix Augustus, par. 3. Constit. 8.

Dissent. Massinius ad l. precibus. 8. C. de impub. & aliis substit. à no. 165. Hunn. ad Treutl. vol. 2. disp. 11. q. 54. Berlich. p. 3. Concl. 10. no. 21. qui novis rationibus jus Canonicum corroborat.

II.

Ad l. cum duobus. 13. C. de inoffic. testam.

An ex testamento, in quo filius familiâs

liās præteritus est, hodiè legata & fidei
commissa conseruentur? Neg.

Ratio (1.) Quia olim ita jus fuit, per tex. in *l. filio
præterito. 17. ff. de injusto rupto irrito.* ubi claris verbis Pa-
pinianus definit: Filio præterito neque libertates com-
petere, neque legata præstari. Sed hoc antiquum jus
nuspianam reperitur expressè mutatum.

(2.) Quia filio. præterito non valet testamentum,
l. Si quis. 16. §. 1. in fin. ff. de vulg. & pupill. sub. est planè in-
utile. *l. inter cetera. 30. in fin. ff. de liber. & posth.* est nullius
momenti. *l. 1. ff. de injusto rupto irr.* ab initio non consistit
pr. J. de exher. lib. Et ipso jure evertitur. *l. maximum viti-
um. 4. C. de lib. præter. in pr. vers. Et aliis verbis.* Ratio rati-
onis est, quia actus, qui non servatâ formâ suâ explicitus
fuit, est ipso jure nullus. Sed pro formâ in testamento
exigitur, ut filius in potestate constitutus, vel heres in-
stituatur, vel exheredetur. *l. inter cetera. 30. ff. de lib. &
posth.* Ergò testamentum hoc, utpote in quo non est
forma servata, est ipso jure nullum. Consequenter ni-
hil ex eo valebit.

(3.) Quia quid opus est, ut querela inofficiosi
proponatur contra testamentum, quod ab initio nul-
lum & inutile est, quale est nostrum, in quo filius est
præteritus, nam querela, tanquam odiosa, remedium
saltem est subsidiarium, §. 2. *J. de inoff. testam.* Unde &
adjutorium vocatur in *l. maximum. 4. C. de liber. præter.*

Dis. Dd. puta Donell. Giphon. & alii *ad authen. ex
causa. C. de liber. præter.* Hunn. *ad Treutler. vol. 1. disput.
13. q. 17. Fachin. lib. 6. contr. 77. & lib. 10. c. 70. Rittershus. ad
Novell. p. 6. cap. 3. no. 30.*

*Ad L. Titius borreum. 60. ff. de acquirend.
rerum domin.*

**Molendinorum tria genera vulgò re-
censeri solent.**

Quædam (1.) tanquam ædificia, seu domus in terrâ, ad præterlabentem aquam aliquam ædificantur, & vulgò *Wassermühlen* appellantur, quibus annumerantur ea, quæ equis exercentur, *Rosmühlen*. Andr. Scheffer. p. 3. q. 39. n. 8. Quædam (2.) *πνευματικά*, seu vento agitata, vel alata, vocantur, *Windmühlen*. Quædam (3.) *Navalia*, seu in aquis natantia, vulgò *Schiffmühlen* nominantur.

Quæritur igitur:

**An molendina hæc rebus mobilibus
vel immobilibus sint annumeranda?**

Putamus, quòd omnia tria molarum genera pro rebus immobilibus sint habenda.

Quòd igitur (1.) molendina solo inædificata, immobilia censeantur, Ratio est, quia res solo inædificatæ atq; affixæ, partes ædificiorum esse videntur. *l. cum fundus. 21. in fin. ff. de instruc. vel instrum. legato*. Dicuntur terrâ teneri, adeoq; fundi esse, *l. fundi. 17. in pr. ff. de actio. emti. solo cedere. l. adeo 7. §. cum in suo. 10. ff. de acquir. rer. domin. ædium esse, id est, pro ædibus & immobilibus haberi. l. granaria. 18. in pr. ibi. ædium sunt. ff. de act. emti*. Atquin hæc molendina solo coherent inædificata, atque ita affixa sunt, ut manifestò sint immobilia, ut loquitur Justus Mejerus in colleg. Argent. ad tit. ff. de rer. divis. 0.

56. Et

56. Et nulla de iis subsit dubietas, urait Andr. Scheffer
quæst. practicab. 39. par. 3. n. 10. Imò hæc molendina pro
immobilibus haberi, indubitata est & inconcussa o-
mnium pænè Interpretum sententia. Cothman. re-
spon. Juris. 11. n. 47. versic. *Quartò molendina solo fixa.*
vol. 3.

Molendina pneumatica seu vento agitata, Wind-
mühlen (2.) itidem inter res immobiles computanda
sunt. Ratio est, quia quæ solo perpetuæ moræ causâ in-
ædificantur, ut non nisi corrupta & dissoluta inde trans-
ferri queant, pro rebus stabilibus sive immobilibus re-
putantur, arg. l. 1. §. si iusserim. 21. ibi: *eas res, quæ propter ma-
gnitudinem ponderis moveri non possunt, ut columnas. ff. de
acquir. possess.* Sic dolia, res sunt per se mobiles, sed si fue-
rint ad perpetuum usum depressa, aut per magnitudi-
nem difficilè moveantur, habentur pro immobilibus.
l. si cui vinum. 3. §. 1. vers. in doliis. ff. de tritico, vino, & oleo
legato. At molendina vento agitata, eâ intentione terræ
accedunt, ut ibi perpetuò maneant. Neq; enim usita-
tum est, ut molendina hæc pneumatica loco movean-
tur, neq; citra fracturæ periculum ferè possibile; Ro-
senthal. cap. 4. concl. 4. n. 1. Hinc non tantum stipites eo-
rum in terrâ sunt defossi, sed & in primis media illa
columna, quæ molendinum hoc sustinet, trabibus
tignisque transversariis adeò firmiter est infixæ, ut licet
pars superior ad ventum commodum moveatur &
circumagitetur; basis tamen & fundamentum, quod
principaliter consideratur, semper in centro manet,
ita ut nunquam moveatur. Ergò & hæc molendina so-
lo inædicata immobilibus rectè aggreganda sunt,
Cothman. d. respons. 11. n. 47. in princ.

Molen-

Molendina deniq; (3.) navalia, Schiffmühlen/
pro re immobili habenda sunt. Ratio, quia res etiam
per se mobilis voluntate patris. ad certum usum, eum-
que perpetuum destinata, censetur pro immobili. *l. ma-
lum. 242. §. 4. fin. ibi: adium esse, quoniam perpetui usus para-
ta. De V. S. l. fundi. 17. §. Labeo. 7. ff. de actio. emti. l. cetera. 41.
§. quid ergò. 12. ibi. ut si qua ibi fuerunt perpetua. ff. de legat. 1.
l. dolia. 26. ff. de instruc. vel instr. lega.* Affectio enim nostra,
si jam hoc constituerimus, id ex re aliquâ facere po-
test, quod propriè ipsa res non est. *l. locus. 60. ibi: nostra af-
fectio. de V. S.* Sed molendina navalia, quamvis videan-
tur esse mobilia, eò quòd semper natent, fluitent, &
quandoq; de loco in locum secundum rapiditatem
fluminis moveantur & transferantur; Solent tamen
non tantùm funibus aliisq; mediis alligari, ac solo jun-
gi, sed & ædificans potissimùm eâ intentione ac desti-
natione ea extruit, ut semper & perpetuò pro molitura
in flumine maneant. Hinc non tantùm ipsum flumen,
perpetuo usu molendinis hisce inservire potest, sed &
ex hisce molendinis non minus atq; ex cæteris, fructus
quotannis percipi possunt. Ergò.

Dissent. Knichen de vestiturarum paction. *part. 2.
cap. 4. no. 51. seqq.* Andreas Scheffer. *part. 3. practic. quest.
39.* Jacob. Schultes ad Rotschitz tract. von Erbe / *artic. 25.
no. 25. seqq.* Vultejus de feudis, *lib. 1. cap. 5. no. 5.* Mejerus
Collegio Argentorat. *tit. de rerum divis. 8. 56.* Försterus
de dominio. *cap. 7. no. 91. 93.* Hunnius de feudis. *cap. 9. fol.
173.* Rittershus. de feudis *lib. 1. cap. 7. no. 5.* Berlich. *part.
3. Conclus. 30. no. 12. 13.*

IV.

Ad §. si quis postulante. §. 11. de actionibus.

Quenam

Quænam actio ex jurejurando com- petat?

Distinguunt (1.) quidam Interpp. An juratum sit formiter, adjectâ puta causâ, an informiter, nulla expressâ causâ. Schneidevv. ad §. *Item si quis postulante.* n. à no. 60. *f. de actio.* Sed hanc opinionem refellit Gilkenius ad *l. actori. 8. C. de reb. cr. & jurej.* à no. 6. Oldendorp. *Clas. 1. act. 9. in remed. no. 1.*

Nonnulli (2.) distinguunt inter juramentum, an in jure, an in judicio delatum sit, Vultej. ad *d. §. item si quis postulante.* n. 14. *Kremberg ibid. n. 19.*

Alii (3.) actori duplex remedium proditum & utrum exercere maluerit, licitum esse contendunt, inter quos est Oldendorp. *d. l.*

Alii (4.) inter species juramentorum distinguunt, Borchhold. *tract. de Jurej. c. 8. n. 30.*

Sunt & (5.) qui veterem actionem planè extinctam, & ex jurejurando tantùm agendum esse astruunt. Dd. ad *d. §. item si quis postulante.* ubi Vultej. n. 13. Anthon. *Matthæi verbis: talem actionem.* *Kremberg / n. 19. & 20.* Setserus *de Juram. l. 4. c. 7. n. 32.* ita tamen, ut quidam ex hisce veterem actionem verbo seu nomine tenus dici, reverà a. novam ex jurejurando natam esse existiment. Atq; ita mirificè Dd. sed & ipsas ll. in hac quæstione statuere & loqui, ajunt, Borchhold. *tract. de jurejur. d. cap. 8. no. 22. & Berlich. part. 1. Concl. 25. no. 1.*

Nos mira fanè Dd. tradere animadvertimus: LL. verò itidem mira loqui, nobis piaculum est dicere. Quare eas sic sibi constantes intelligimus: Ut actio hæc ratione quidem causæ vel originis, ex qua cuiquam compe-

B

tit,

tit, l. nam posteaquam. 9. §. 1. ibi: actor verò actionem acquirit. ff. de jurej. appelletur ex jurejurando: nulla enim alia causa superest, quàm hæc, quia juratum est. d. §. item si quis postulante. l. non erit. 5. §. 2. l. in duobus. 28. §. fin. in fin. ff. de jurejur. l. adversus. 15. ff. de Exceptio. Respectu verò effectus & præstationum, secundum Judicis sententiam, fiendarum, dicatur retinuisse veteris actionis nomen, non quòd nova probatio desideretur, sed ut sciatur, cujus rei gratiâ vel contractus juratum sit, & quid unus alteri præstare debeat. Si igitur quis juravit, se pecuniam credidisse, est actio, Si certum petatur de jurejurando, si emisit, est actio ex emto de jurejurando. Agetur itaq; hoc modo: Quod te mihi ex causâ mutui dare, vel ex causa emti facere, præstare juravi, id te mihi facere præstare oportere ajo. Probantur hæc (1.) ex l. si duo patroni. 13. §. si quis juraverit. 3. ibi: ex emto agere poterit, ut ei cetera præstentur, i. e. res tradatur, & de evictione caveatur; Juncto §. idem dicemus. 4. ibi: Is pro socio. Et §. Marcellus. 5. ibi: pignoratitia agere posse. ff. de jurejur. (2.) ex l. illud ut illud. 25. §. 1. ibi: cum habeas eo nomine actionem, rectè de constituta ages. ff. de constit. pecun. (3.) ex l. sed et si certum. 7. §. si petenti. 7. ff. de Public. in rem actio. ubi datur actio Publiciana, sed ea innititur huic causæ, quod juratum sit, ea tamen adducitur non ceu immediata, sed ut mediata causa petitionis. (4.) ex l. sed si possessori. 11. §. si cum. 3. ff. de jurejur. ubi actio utilis petitionis hereditatis juranti competit adversus eum, contra quem juratum est, ad consequenda ea omnia, quæ in petitionem hereditatis venire solent, modò non ampliùs quærat in eâ actione, utrum mea sit hereditas, sed de illo tantùm: an aliquid adhuc penes te habeas, quod posses-

fessio-

sefforem dare" oporteat petitori vincenti in hereditatis petitione. Hinc (5.) hæc actio in factum *l. sed si possessori. 11. §. 1. ff. de jurejur. l. actori. 8. C. de reb. credit. Et jurejur.* Et utilis *d. l. 11. §. si cum. 3. ff. de jurejur. l. si duo. 13. §. 1. l. quod si. 29. ff. eod.* Et accommodata. *d. §. item si quis postulante.* eodem respectu ita dicitur. In factum quidem, quia tantum quæritur de facto, non, an rectè, sed an ritè juratum sit, *d. §. 11. f. de action.* Utilis verò, quia jurans non directâ probatione nititur, sed fictâ: non enim sum verè heres, quamvis juraverim, hereditatem meam esse, sed habeor pro herede, *d. l. 11. §. si cum. 3.* Satisq; est, quod per hanc actionem utilem tantundem consequar, quantum per directam. Idem enim utriusq; est effectus, *arg. l. actio. 47. §. 1. ff. de negot. gest.* Accommodata autem dicitur in *d. §. 11. f. de action.* quia prior actio inflectitur & confirmatur ad factum jurantis, & Prætor ad factum actionem, priorem scilicet, accommodat.

V.

Ad L. si unquam. 8. C. de revocan. donationibus.

An *L. si unquam. 8. C. de revocan. donat. de Patrono* loquens, ad quemcunq; donatorem parentem extendi debeat? Et sic: An donatio à patre eo tempore facta, quo nullos habebat liberos, postea verò suscepit, per liberorum hanc supervenientiam revocetur? Affirm.

B 2

Ratio

Ratio (1.) est, quia quoties lege aliquid unum vel alterum introductum est, bona occasio est, cætera, quæ tendunt ad eandem utilitatem vel interpretatione, vel certè jurisdictione supplere. *l. nam ut ait. 13. ff. de L. L. siquidem ubi eadem ratio, ibi idem jus statui debet. l. illud. 32. ff. ad L. Aquil. Ergò & L. si unquam.* in Patrono primùm quidem introducta, non tamen patrono, ut patrono, sed ut patri ob solam liberorum supervenientiam tributa, ob eandem scilicet utilitatem rectè in quovis parente non tam ex verbis, quàm ex legis sententia. *arg. l. nominis & rei. 6. §. 1. de V. S. suppletur.* Eadem namq; in Patrono & aliis parentibus donatoribus hoc casu militat generalis præsumta ratio, pietatis videlicet conjectura. *l. cum avus. 102. ibi: conjectura pietatis. ff. de condit. & demonstrat.* Non enim est verisimile, patrem tempore donationis de liberis postea nascituris cogitasse. *arg. l. generaliter. 6. §. 1. ibi: non esse verisimile. C. de institut. & substitut.* Quare nec est probabile, patrem ob amorem & affectum paternum, *l. isti quidem. 8. §. 3. in fin. ff. quod metus causa. l. cum furiosus. 7. C. de curato: furiosi.* liberos postea nascituros extraneo præferre, *arg. d. l. 6. §. 1. C. de institut. & substitut.* atq; ita alienas successiones propriis anteponeere voluisse. *l. cum acutissimi. 30. in fin. C. de fidei commiss.*

(2.) Quia & alibi in jure absurdum non est, ex mente contrahentium tacitam conditionem rei gestæ injicere, eamq; verisimiliter & commodè supplere, *arg. l. stipulationem. 21. ff. de jure dot. l. cum posterior. 6. ff. de distract. pignor. l. si debitor. 39. §. 1. ff. de contr. emptio. l. ideò. 27. ibi: Semper quasi hoc legibus inesse. ff. de ll.* Quinimò plerumq; id accidit, ut extra id, quod agitur, tacita obligatio

gatio nascatur. *l. is qui. 13. §. 2. in fin. ff. commodati.* Ergò & hoc nostro favorabili casû credendum, quod donatio hæc non nisi sub tacitâ conditione liberorum non nasciturorum peracta præsumatur, ea siquidem ex naturali & civili ratione donationi huic semper inesse videtur; si liberos non habuerit. Naturale enim & commune votum est parentum, ut liberos habeant rerum suarum successores. *l. nam et si. 15. ff. de inoffic. test. l. scripto. 7. §. 1. ff. si tabula testamenti nulla,* ut omnia liberis ex voto parent. *l. nihil interest. 50. §. 2. in fin. ff. de bonis libertor.* imò & ipsi vivo adhuc patre, domini quodammodo rerum hereditariarum existimantur. *l. in suis. 11. ff. de liber. & postb.* Deficiente igitur conditione tacitâ, omnis donatio evanescit, *arg. t. t. C. de donat. quæ sub modo vel conditione.* Et sic censetur pater eâ lege donâsse, ut si liberos postea susceperit, irrita existat donatio. Et hanc decisionem (3.) æquitas ex præsumtâ & intellectâ patris voluntate suggerit. *arg. l. 2. §. idem Varus. 5. in fin. ff. de aqua & aqua pluvia arcen. quæ paria jura in paribus causis desiderat. arg. l. mulier. 22. in pr. versic. Brasidas. ibi: Intellectâ matris voluntate. ff. ad S. C. Trebellian.* Itemq; (4.) Si factum hoc in obscuro esse cuidam videtur, ideò ex affectione cujusq; capit interpretationem. *l. rapienda. 168. §. 1. de Reg. Jur.* Atq; hæc sententia communis est, usq; fori recepta, ac in totâ Europâ obtinet, ut loquitur Giphanius *ad h. l. si unquam in pr.* Et secundum eam sæpius respondit Juridica facultas Lipsiensis, nempe anno 1611. 6. April. an Ernst von Lemkau zu Grimma: Anno 1614. 2. Mart. an Caspar Zincken zu Strassfurt. Et eodem anno 1614. 10. Augusti an Hans von Krummensee.

Dissent. Cubach. Centur. quæst. illustr. 2. decur. fin.
quæst. 2. ubi plures allegat, & alii dissentientes hinc inde
occurrunt.

VI.

Ad L. Creditor. 102. ff. de solution.

Si moneta depravata, publico edicto
tamen approbata, à Debitore pupilli tu-
tori soluta est; postea verò illa à magistra-
tù reprobetur, antequam à tutore expen-
datur: Quæritur, ad quem damnum ex
mutatione istâ spectet, an ad tutorem, an
ad pupillum? Regulariter ad pupillum.

(1.) Per textum in *l. Creditor. 102. pr. ibi: nec tuto-
ris detrimentum esse. ff. de solut.* (2.) ratio est, quia
quælibet res perit suo Domino. *l. pignus. 9. C. de pign. act.*
At tutor accepit pecuniam non suo, sed pupilli nomi-
ne: Pupilli igitur facta est, & per consequens eidem et-
iam perit. (3.) Quia reprobatio ista publica facta
est præter intentionem & culpam tutoris: atq; sic in-
terit pecunia casu quodam fortuito, de quo Tutor
non tenetur *l. tutoribus. 4. C. de periculo tutor.* Sed præ-
stat tantùm culpam. *l. contractus. 23. de Reg. Jur. l. eum
qui. 4. l. quicquid. 7. C. arbitr. tutela.* Quod eò magis pro-
cedit, (4.) si tutor pecuniam pupillarem credere,
vel pro eâ prædia comparare non potuit, tunc enim
excusatur omninò, nec quicquam eo nomine præstat,
quod pecunia cessavit. *l. si tutela. 8. in fin. l. cum plures. 12.*

S. si

§. si tutor. 4. fin. l. tutor. 13. §. 1. ff. de administ. tutor. l. si pecuniam. 3. C. de usur. pupillar. At verò hîc præsupponitur, tutorem angustiâ temporis exclusum, non potuisse erogare pecuniam istam, antequam abrogaretur. Ergò nihil ipsi imputari potest, & sic nec damnum præstat emergens. Præsertim etiam (5.) Si tutor fortè invitus & sub metû carceris depravatam monetam accipere coactus fuerit à magistratu inferiore, legem publicam, statutum, vel quæstionem præcisè urgente, arg. l. nec timorem. 7. §. 1. ibi: timuit enim vincula. l. qui in carcerem. 22. l. fin. §. 1. ibi: ut vincus iret, potens adversarius minabatur. ff. quod metus causa. Cùm ergò per ipsum non steterit, utiq; nec incommodum sentire, aut negligentia poenam luere debet.

Limitatur hæc conclusio, nisi culpa Tutoris inter-
venerit: Tunc enim meritò damnum refarcit pupillo. Ratio (1.) est, quia quandoq; arguitur culpa Tutoris, sive ea consistat in committendo, sive in omittendo: Sive etiam pupillus damnum sentiat inde, sive lucro saltem careat, tunc semper Tutor obligatus est, l. quicquid. 7. C. arbitr. tutela. l. tutor. 7. §. si post. 3. vers. tamen si cessent. ff. de administ. tutor. l. de his. 12. C. de administ. tutor. Ratio rationis: quia Tutor ex officio diligenter omnia in administratione considerare & discernere tenetur, quid ipsi pupillo sit utilius, & magis expediat: Illudq; omnibus posthabitis facere & exequi debet; l. magis. 5. §. non passim. 9. ff. de rebus eorum, qui sub tutela. Culpa autem intervenisse ex parte tutoris censetur, (1.) Si vel res mobiles & tempore perituras non distrahat. l. lex qua. 22. in fin. l. tutores. 24. C. de administ.

nist. tutor. vel pecuniam pupilli in alios usus non elocet. Ratio, quia tunc tutor culpam contrahit omittendo, ejusq; negligentia perspicitur exinde, quia quilibet Tutor tenetur imitari diligentem patremfam. *l. generaliter. 10. l. à tutoribus. 33. in princ. ff. de administrat. tutor.* eamque diligentiam præstare, qualem adhibet suis rebus. *l. 1. in princ. ff. de tut. & rat. distr.* Ut igitur diligens & circumspectus Paterfamiliâs haud delectatur pecuniâ otiosâ: Ita nec tutori ea sterilis esse debet. *l. quid ergò. 3. §. usuras. 4. in fin. ff. de contraria tutela. l. si tutor. 15. l. qui negotiationem. 58. §. pupillo. 3. ff. de administrat. tutor. l. tutores. 24. in fin. C. eod.* Et quamvis dicendum videatur, hodiè Tutores non cogi pecunias pupillares fœnori dare, per *Novell. 72. c. 6.* Hoc tamen jus Novellarum iterùm abrogatum, & vetus Jus in usum revocatum, atq; hoc introductum est, ut tutores licito lucro secundum morem regionis pecuniam pupillarem exponere, sique hoc neglexerint, usuras pupillis refundere tenèantur. *Rauchbar. p. 2. q. 26. n. 6. Scheffer. p. 1. q. 30. n. 13. Hartm. Pistor. observat. 82. (2.)* culpam Tutor commississe dicitur, si ipse suâ sponte pecuniam exegit arosam, cum potuisset tacere, expectatâ debitoris oblatione, vel publicâ monetæ arosæ abrogatione. Ratio (1.) est, quia non minus in jure culpatur nimia curiositas & festinatio, quàm negligentia, *arg. l. tutor. 7. §. 1. in fin. ibi: precipiti festinatione. ff. de administrat. tutor. l. edicto. 13. §. cum ante. 7. ff. de jur. fisci.* Quemadmodum igitur nominum pupillarium periculum spectat ad tutorem, si exigere cessavit, *l. chirographis. 57. ff. de administrat. tutor. l. 2. C. arbit. tutela.* Sic è contrario

trario nimium properanter exigens monetam æ-
rosam, nullâ necessitate urgente, in culpam inci-
dit.

(2.) Quia tutor tum contra officium diligentis
Patrisfamiliâs facit. Hic enim talem pecuniam non
exigeret, nisi inventâ prius ratione, eam in conti-
nenti rursus expendendi, præsertim si suspicio ali-
qua sit, brevi fore, rem monetariam ad pristinum
statum redactam iri.

(3.) Culpa tutoris arguitur, si pupillum potuis-
set liberare per istam pecuniam debito paterno,
vel alio onere æris alieni. Ratio est, quia tutor non
minus obligatus est ad solvendum debita liquida
pupilli, ut ab onere usurarum liberetur, quàm ad
exigendum nomina ejusdem. *l. quotiens. 9. §. Sicut au-
tem. 5. l. generaliter. 10. ff. de administrat. tutor.*

Hicse consequens est, tutorem diligentiam su-
am in elocandâ pecuniâ docere oportere; *arg. d. l.
tutor. 13. §. 1. ff. de administ. tutor.* Et ratio est, quia illud
in facto planè consistit, eam pecuniam elocare vo-
luisse: Facta autem non præsumuntur; *arg. l. non est
necesse. 11. ff. de probat. l. asseveratio. 10. C. de non numeratâ
pecuniâ.* Atq; ita pronunciavit facultas Juridica Li-
psiensis anno 1627. ii. Augusti, & i. Septembris an
Friederich Kees zu Freyberg. Quod si verò tutori
probatio fiat fortè impossibilis, ad juramentum ad-
mittendus est: Uti & nuper facultas Juridica Wite-
bergensis pronunciavit, *An Richter vnd Schöppen
zu Heinsburg in causa Friederich Seidels / contra
Asmus Böttigern in hunc modum: Dörffte beklage*

C

ter

ter vermittelst Körperlichen Eydes erhalten / daß er die geklagte Gelder vber angewandten Fleiß bey niemand vmb Verzinsung wieder vnterbringen können / hette auch solche immittelst nicht selbst in seine Druken gewendet / sondern weren eben an den empfangenen Stücken noch vorhanden / So möchte er gegen Aufzahlung solches Geldes von der angestalten Klage absolviret vnd entbunden werden.

Quam sententiam facultas Juridica Lipsiensis die 8. Mart. 1628. in leutationis instantia confirmavit.

VII.

Ad L. Si qui reus. 5. ff. de public. judic.

An retorsio injuriarum verbalis, extra judicium in rixâ fortè facta, sit in jure permisa?

Negativam exercitii loco contra communem, & ut ajunt, ubiq; locorum receptam Dd. opinionem defendemus.

Ratio (1.) Quia non relatione criminum, sed innocentia reus se purgare debet, *l. si qui reus. 5. in fin. princ. ff. de publ. judic.*

(2.) Quia in genere omnis ultio extrajudicialis prohibita est. *l. extat. 13. ibi: non per Judicem. ff. quod metus causa. t. t. C. ne quis in sua causa jud. tot. t. C. qu. lic.*
uni-

unicuique sine iudice. l. scientiam. 45. §. qui cum aliter. 4. ibi: si tuendi duntaxat, non etiam ulciscendi causa. ff. ad l. Aquiliam. Vocem enim funestam amputari oportet potius, quam audiri. l. si quis. 20. in fin. C. de his, qui accusare non possunt.

(3. Quia nullibi retorsio extrajudicialis specialiter in jure permessa reperitur. Ergo quia hoc non cum lege agimus, erubescimus. *Nov. 18. cap. 5.* Ac proinde crimen objectum primo potius negandum, *arg. cap. nonne benedicimus. 5. ex. de presunt. postea actione experiendum. d. l. extat. 13. l. creditores. 7. ff. ad L. Jul. de vi priva. l. nullus. 14. C. de Judais.* Cumque Prætoris seu Judicis deesse facultas vix possit, cur ad arma & rixam procedere patiatur Prætor, quos potest jurisdictione sua componere. *l. si cujus rei. 13. §. sed si inter. 3. ff. de usufr.* Non enim est singulis concedendum, quod per magistratum publice possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi. *l. non est. 176. de Reg. Jur.*

(4.) Quia retorsio non est defensionis, sed ultionis seu vindictæ species: tum quia defensio tantum ad casum necessitatis est restricta, & durante periculo permessa. *l. sed etsi. 5. ibi: ferro se petentem. ff. ad l. Aquil. l. quod est. 3. §. qui armati. 5. ibi: Sufficit enim terror. Et §. cum igitur. 9. ibi: qui cum armis venit. Et ibi: Sed hoc confestim, non ex intervallo. ff. de vi & vi arma. l. si ut allegas. 4. ibi: inferenda cedis. C. ad l. Corneliam. de Sicar.* tum quia defensio tum admittenda, si corpori vis inferitur. *l. ut vim. 3. ff. de Justit. & Jure. d. l. 5. ibi: ferro. ff. ad L. Aquil.* tum quia defensio est subsidiaria,

si videlicet aliter quis periculum non effugere, aut non aliter, quàm extraordinariè se tueri potest. *l. itaq. 4. in princ. l. scientiam. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. §. injuria. 2. J. de L. Aquil. l. is qui. 2. ibi: in dubio vitæ discrimine. C. ad L. Corneliam de Sicar.* At verò retorsio injuriarū fit injuria jam perfecta & consummata, eaq; semel illata removeri non potest, neq; per injuriam verbalem corpori vel vitæ vis infertur, sed honor, existimatio, & fama læditur, injuriaq; affectus aliter se tueri potest, putà viâ ordinariâ, actione scilicet injuriarum, quæ ad propulsationem injuriæ ordinata est; *t. t. ff. de Injur.*

(5.) Quocirca eleganter ait Romani fori experientissimus Cicero: Si hoc constitutum sit, ut peccata homines peccatis, & injurias injuriis ulciscantur, quantum incommodorum consequetur? *lib. 2. de Invent. pag. 130. no. 81. in edit. Gothofredi.*

Dissent. Harpr. disputat. pecul. de Retorsione, in volum. disput. suar. p. 2. disput. 19. Et ad §. 1. *J. de Injur. à no. 80. Riemer decad. 12. quest. 8. Kremberg de necess. defension. q. 8. no. 49. 50. 51. Berlich. part. 5. Conclus. 64. Arum. disput. Inst. exercit. 17. §. 17. Fachin. lib. 9. Controv. Vaud. l. 2. var. quest. 29. Gilhaus. tract. de Injur. §. 5. à no. 204.*

VIII.

Ad L. si quando. 35. §. 1. & 2. C. de inoffic. test am. Et Constit. Elect. 10. par. 3.

An testamentum, in quo filius præteritus est, vel ejus approbatione in ipso

ipso actu testandi, vivo adhuc patre, vel
rati habitatione post mortem patris, sus-
tineatur? Stricto quidem jure civili
nullum est. (a.) Sed ex æquitate præto-
riâ, datâ bonorum possessione secun-
dum tabulas sustinetur. (b.)

a (1.) *arg. tex. in l. si quando. 35. §. 1. C. de inoffic. test.*
ubi Imperat. Justin. ex hujusmodi pacto cum patre
inito filium minimè gravandum, sed secundum Pa-
piniani responsum meritis magis eum ad paterna
obsequia provocandum, quàm pactionibus astring-
endum esse, ait.

(2.) Quia consensus filii hoc casû nihil aliud est,
quàm repudiatio hereditatis: Sed hereditas viventis
repudiari non potest, quia nondum est: Viventis
namq; nulla est hereditas. *l. qui hereditatem. 19. ff. de
acquir. hered. l. 1. ff. de hered. vel actio. vendi.*

(3.) Quia quod ab initio vitiosum est, ut est te-
stamentum, in quo filius est præteritus. *l. si filius. 7. l.
inter cetera. 30. ff. de liber. & posthum. pr. J. de exbere-
dat. liberor.* tractû temporis, scilicet post mortem
patris propter consensum supervenientem recon-
valescere nequit. *l. quod initio. 29. de Reg. Jur.*

b. (1.) Per text. *in l. posthumus præteritus. 12. ff. de
injusto rupto irrito*, ubi in princ. dicitur, si posthumus
præteritus sit, & vivo testatore natus decesserit, licet
juris scrupulositate, nimiaque subtilitate testamen-
tum ruptum videatur: Tamen heres scriptus ex

æquitate prætoriâ bonorum possessionem secundum tabulas accipere potest.

(2.) Per text. in *l. filio. 17. ff. de injusto rupto irrito*. Cujus casus talis est: Pater duos filios suos in suo testamento heredes instituit, & tertium præteriit, qui partem hereditatis tertiam avocare potuisset, si jure suo uti voluisset. Sed si eo non utatur, verùm bonis patris se absteineat, etiamsi testamentum ipso jure nullum sit, ex æquo tamen & bono sustinetur voluntas patris, non quidem tanquam testamentum justum & solenne, sed tanquam ultima voluntas, favore scilicet testamenti paterni inter liberos conditi, à filio approbati, quo ipso iudicium patris & fundi tuebitur, hoc est, defendetur ac sustinebitur. Sic enim passivè verbum, Tueri, & alibi usurpatur, in *l. consilio. 7. in princ. ff. de curator. furios. l. filium. 5. §. ad eum. 7. ff. de legat. præstand. contra tabul. l. duobus. 30. ff. de liberali causa. l. Et in provinciali. 3. ibi: tueri enim placita inter contrahentes debent. C. de servitutibus*.

Estq; (3.) ratio, quia præteritio non est de solennitate juris prætorii, seu non est vitium naturale, sed civile potiùs. Prætor autem illud saltem attendit, & tùm testamentum sustinet, si secundum formam à se præscriptam factum est, quando nempe testamentum septem testium signis est munitum. *d. l. posthumus. 12. ibi: Si signatum fuerit testamentum*. Ergò testamentum, in quo filius est præteritus, jure Prætorio nullum non est.

Est & hæc ratio (4.) quia licitum est cuilibet favori

favori pro se introducto renunciare, *l. si quis. 29. C. de pact. l. quod favore. 6. C. de legibus.* Sed principaliter ob favorem filiorum, qui vivo adhuc patre quodammodo domini sunt rerum paternarum, *l. in suis. 11. ff. de lib. & posthum.* introductum est, ne à patre in testamento prætereantur, *princ. 7. de exhered. liber.* E. Atque in hanc sententiam & Elector Saxonæ Augustus ob eandem æquitatem prætoriam concessit in *Constit. 10. p. 3. ibi. So ist solches Testament* saltem jure Prætorio *freffig.* Notandum etiam, quòd tùm demum Prætor heredem scriptum ad bonorum possessionem secundum tabulas admittere, & testamentum hoc confirmare possit, si is aliàs ab intestato succedat, non etiam si sit extraneus.

(1.) Per *d. l. posthumus. 12. ibi: qui rem ab intestato auferre possit. ff. de injusto rupto irrito.* (2.) Per *d. l. filio. 17. ff. d. t.* ex qua non dicendum est, quòd in fratribus ex facto acciderit id, de quo consulebatur, sed potiùs consultà operâ Jctus Papinianus posuit speciem in fratribus; non extraneis heredibus institutis, & ait, quòd tùm voluntas patris ex æquo & bono inter fratres admittenda sit. (3.) Per *l. si duobus. 12. §. 1. ibi: Si remoto quoq; filio. ff. de bonor. possess. cont. tabul.* (4.) Per *l. nonnunquam. 8. ff. de collat. bon.* ubi Papinianus ait: Si de bonis paternis disputatur inter fratres, benignior est sententia sequenda:

Quare extraneis heredibus institutis, eadem benignitas non est admittenda, sed summo jure Civ. cum eis agendum est. (4.) Ratio est, quia si extranei

tranei instituti sunt, Prætor facere non potest, ut
cùm testamentum Jure Civili nullum sit, proximos
cognatos à lege ad hereditatem vocatos excludat:
Si verò instituti sunt heredes, qui aliàs ab intestatò
succedunt, tùm quia hi nituntur & voluntate testa-
toris, & adjuvantur à lege ab intestato: Ideò Prætor
facilius hoc testamentum confirmare potest.

Dissent. Hunn. ad Treutl. *vol. 2. disput. 11. q. 4.*
Scheffer. *p. 3. quest. 49. n. 283.* Hillig. ad Donell. *lib. 6. cap.*
13. lit. C. fol. 376. Berlich. *p. 3. Concl. 16. n. 26.* Arum. *disput.*
Instit. exerc. 10. §. 9. Clarus *lib. 3. recept. sentent. §. testa-*
mentum. q. 43. n. 3. in fine. qui inter venientes ab inte-
stato, & extraneos non distinguunt.

IX.

Ad L. 2. C. de resc. vend.

An venditio, præcedente publicâ sub-
hastatione facta, prætextu læsionis ex
L. 2. C. de rescind. vendit. rescindi possit?
Neg.

Rat. (1.) quia fiscalis hastæ fides facilè con-
velli non debet. *l. si hypothecas. 8. C. de remissio. pigno-*
ris. (2.) Quia ex subhastatione jus perpetuum
acquiritur. Hinc talis emtor dicitur perpetuam em-
tionis accipere firmitatem. *l. si quis. 3. fin. C. si propter*
publicas pensitationes, & jus domini perpetuum, a-
deò ut illud neq; prætextu rescripti, neque minoris
ætatis retractari possit. *l. quæcunq;. 5. C. de fide & jure*
hastæ fiscalis. (3.) Quia nullâ ratione sciri melius
potest

potest verum rei pretium, quàm si sub hasta & publicè res vendenda exponatur, *arg. l. ait prator. 7. §. quesitum. 8. ff. de minor. (4.)* Quia si etiam factà publicà venditione, audiendus adhuc est, qui rem pluris vendi potuisse allegat, nunquam verum erit, tantum revera rem esse, quanti vendi potest, *arg. l. 1. §. si heres. 16. vers. Julianus, ibi: quanti valet. ff. ad Senatus C. Trebellia. l. mortis. 18. §. fin. ibi: quanti venire potuisset. ff. de mort. caus. donatio.* Ant. Fab. in *Rationabilib. ad d. l. 7. §. quesitum. 8.* Et ita in facultate Jurid. Lipsi. aliquoties responsum est. Quod & annotavit Berlich. *decis. 126.* ubi & adversariorum rationes refutat. In quâ refutatione si quis acquiescere non possit, nos vel plura, vel alia addemus.

Dis. Rauchbar. p. 1. q. 46. n. 25. Arum. ad L. 2. C. de rescin. vendit. disput. 3. §. 18. circ. fin. Fachin. lib. 2. Controv. 21. Merenda contrav. Jur. l. 1. c. 34. n. 7. Et alii à Berlich. *d. l. n. 1. citati.*

X.

Ad text. 2. f. 30. & 36. Et Constit.

Elect. 28. par. 3.

An Clericus, si per Substitutum servire velit, ad feudi successionem admit- tendus sit? Negamus.

Ratio (1.) Quia Clericus jure feudali nullo modo in feudum paternum succedit. *2. f. 30. vers. ex hoc illud.* Ergò neq; eo modo per substitutum serviendo: Quia ad quod exercendum per se quis inhabilis est, id nec per substitutum efficere potest. *arg. l. 2. §. 1. ff.*

D

deo

de administr. rerum ad civit. pertin. l. un. C. quibus ad con-
duction. praediorum fiscal. l. eos qui. 3. C. si certum petatur.
Aliàs Juris feudalis dispositio facilè eluderetur, offe-
rendo substitutum. (2.) Quia beneficium non
debet pertinere ad eum, qui non debet gerere offi-
cium. 2. f. 21. in fine. Hinc in Jure feudali qui ipse offi-
cium vel servitium præstare nequit, & ita per se in-
habilis est, nec per alium servire potest. Exempla
sunt in foeminis. 2. f. 11. vers. ad filias. 2. f. 36. ibi: Sic dici-
mus in foemina. 2. f. 50. In mutis & surdis. 1. f. 6. §. fin. d. 2.
f. 36. (3.) Quia hoc ipso, quod quis Clericus effi-
citur, feudum amittit. 2. f. 26. §. qui Clericus. Ergò nul-
lum amplius Jus habet in feudo. Quî igitur fieri po-
test, ut per substitutum servire queat? Substituti
namq; tum demum ratio habetur, si possessori jus
feudi integrum atq; illæsum manet. 2. feud. 55. §. fir-
miter. 2. f. 26. §. si minori. & §. seq. (4.) Quia erube-
scimus, quando neq; cum lege agimus, Nov. 18. cap. 5.
Nov. 2. cap. 3. versic: Sicut enim Patres, ibi: nec qualibet est
lex aliquid tale dicens. l. illum. 19. ibi: eò quod nulla consti-
tutio. C. de collat. neq; cum ratione seu analogia Juris
feudalis. arg. l. scire. 17. ibi: vim ac potestatem. ff. de legi-
bus. l. si sponsus. 5. §. si quis. 15. ibi: rectam rationem huic sen-
tentia Celsus adjecit. ff. de donat. inter vir. & uxor.
Quod enim ratione caret, extirpari necesse est. Ca-
non Chorepiscopi. 5. distinct. 68. Sed nullus est textus
Juris feudalis, Clerico indulgens, ut in feudo succe-
dere, & per substitutum servire possit. Neq; eundem
substitutum solida juris feudalis ratio admittit. Est
enim Clerici officium, potius orare, & divino cultui
vacare,

vacare, quàm ad bellum ire & pugnare. *Can. si quis
vult. 3. distin. 36. Can. reprehensibile. 19. in fin. caus. 23. q. 8.*
Hinc est, quod arma ferrea tractandi peritia cleri-
cis exprobratur magis, quàm in iis commendatur.
Can. non pila. 3. caus. 23. q. 8. Confirmant hoc eleganter
Jura civilia *in l. repetita. 41. C. de Episcop. & Cler. l. con-
sulta. 23. C. de testam. l. milites. 31. C. de locato. l. militares.
16. C. de re militari.* Ubi disceptationum forensium se-
se peritos ostendere Clericis probrosum & absur-
dum esse dicitur. At si militia togata forensis iis non
convenit, multò minùs conveniet militia armata &
cruenta. Adeoq; ea, quæ in forma fidelitatis conti-
nentur. *2. f. 6. & 7.* præstare non potest. Rectè Ber-
lich. *p. 3. Concl. 39.* ubi Dd. pro utraq; opinione alle-
gat.

Dissent. in primis inter alios prolixè Quirinus
Cubach, in libello Jurisprudentiæ Germanopubli-
cæ in *παράεργω*, quod primæ parti in calce adjecit,
ubi contra Dn. Præsidentem disputat: De cujus
fundamentis, videbimus in
discursu.

F I N I S.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is difficult to decipher due to its low contrast and the texture of the paper.



99 A 6983

ULB Halle


3


002 927 888




Retro ✓ V017







SOLO FAUENTE DEO.
DECAS
Controversiarum
Juridicarum illustrium



Quam
Permissu atq; auctoritate Amplif-
sima Facultatis Juridicae
Lipsiensis,
SUB PRÆSIDIO
SIGISMUNDI Fincelthaus/
J. U. D. & Professoris
publici,
Publicæ disquisitioni subjicit
GOTHOFREDUS NICOLAI
Vratislaviensis.
Ad diem 3. Aprilis,
Loco & horis consuetis.
LIPSIÆ, Excudebat GREGORIUS Ritsch.

ANNO 1628.